

IN SEX SEQUENTIA OPUSCULA FR. JOANNIS FRANCISCI BERNARDI

MARIÆ DE RUBEIS


ORDINIS PRÆDICATORUM,

ADMONITIO PRÆVIA,

De Opusculo adversum Averroistas de unitate intellectus, ac latina Themistii versione ab Aquinate adhibita: itemque de verbo intellectus, de sortibus, de judiciis astrorum, de æternitate mundi: deque censura Joan. Ambrosii Barbavara in omnia Sancti Thomæ Aquinatis Opuscula.

CAPUT I.

Opusculum recensetur de unitate intellectus contra Averroistas. Operis utilitas: quove illud scriptum fuerit tempore. Joan. Ambrosii Barbavara Ordinis Prædicatorum censura in Aquinatis Opuscula.

I.  **R**orem Averroisticum de unitate intellectus in omnibus hominibus, aliosque errores ex eadem radice veluti surculos profliciscentes, peculiari Opusculo, quod est xvi. in editione Romana, a S. Thoma Aquinate profligatos fuisse, testantur veteres omnes Operum ejus Nomenclatores. Priora etiam Opusculi verba præstant Ptolomæus de Luca, Bernardus Guidonis, S. Antoninus: nimirum, *Sicut omnes homines naturaliter scire desiderant. Ipse Thomas hoc sibi Opusculo attribuit: „Inolevit, iniquis, jamdudum circa intellectum error apud multos, ex dictis Averrois sumens exitum: „dium: qui asserere nititur, intellectum quem Aristoteles possibilem vocat, ipse autem inconvenienti nomine immaterialem (leg. materialem), esse quamdam substantiam secundum esse à corpore separatam: & aliquo modo uniri ei ut formam: & ulterius quod intellectus possibilis sit unus omnium. Contra quem jam pridem multa conscriptimus. Indicari puto Commentarios in II. Sent. dist. xvii. quæst. 11. art. 1. & Quæstionem de Anima inter disputatas, ac etiam fortasse primam Summæ Theologicæ Partem quæst. lxxix.*

Perulantem Academici, qui errorem instaurabant, ansam dedere Aquinati, ut novum opus moliretur. Sed quia errantium impudentia, inquit ille, non cessat veritati reniti, propositum nostræ intentionis est, iterato contra eundem errorem conscribere alia, quibus manifeste prædictus error confutaretur. Hunc locum illustrat Guillelmus de Tocco in Vita Capite IV. num. 19. „Antiquas hæreses, iniquis, confutavit: suo etiam exortas tempore, divino spiritu revelante destruxit. Quarum hæresum prima fuit Averrois, qui dixit unum esse in omnibus hominibus intellectum. Qui error malorum favebat erroribus, & Sanctorum virtutibus detrahebat: dum uno existente in omnibus intellectu, nulla esset differentia hominum, nec distantia meritorum. Qui tantum invaluit etiam in simplicitate mentibus, sicque se periculose infudit, ut requisitis quidam miles Parisius, utrum de suis criminibus se purgare vellet, responderit: *Si anima Beati Petri est salva, & ego salvabor: quia si una intellectu cognoscimus, uno fine exiti finiemur.* Quem errorem etiam essent Scholares Galaridæ incitantes, qui Averrois erant communiter sectantes, poterat prædictus error plures inficere, quibus potuissent prædictum errorem sophistici rationibus persuadere. Unde contra hunc errorem fecit scriptum mirabile. „Non Golaridæ, sed Gariandæ legendum esse admonet Jacobus Echaridus: qui feudum, & vicus erat in urbe Parisiorum, ubi Philosophiæ professores docebant.

II. Maximam Operis utilitatem nemo non videt. Præcipuum sibi Thomas consilium proposuit, ut Averroisticum errorem repugnantem ostenderet principiis Philosophiæ: nihilominus christiana etiam fidei adversum esse, paucis admonet: „Nec id nunc agendum est, iniquis, ut positionem prædictam ostendamus erroneam, quia repugnat veritati Fidei christiana. Hoc enim cuique satis in promptu apparere potest: subtrahit enim ab omnibus divinitate intellectus, qui solus inter partes anime incorruptibilis & immortalis apparet; sequitur, post mortem nihil de animabus hominum remanere, nisi unitatem intellectus: & sic tollitur tributio præmiorum & poenarum, & diversitas eorumdem. Intendimus autem ostendere, positionem prædictam non minus contra principia Philosophiæ esse, quam contra fidei documenta.

Contra audaciorem quemdam Academicum egisse Thomam, verba patefaciunt, quæ habentur in fine Opus-

Operis. „Est etiam majori admiratione, vel etiam indignatione dignum, quod aliquis Christianum se præsentem, irreverenter de Christiana fide loqui præsumpserit. Sicut cum dicit, quod Latini pro principis eorum hæc non recipiunt, scilicet quod sit unus intellectus tantum, quia forte lex eorum est in contrarium. Ubi dicit sunt mala: primo, quia dubitat, an hoc sit contra fidem: secundo, quia alienum se innuit ab hac lege. Et quod postmodum dicit: hæc est ratio, per quam Catholici videntur habere hanc positionem (reprehensionem meretur); sententiam fidei positionem nominans. Nec minoris præsumptionis est, quod postmodum asserere audeat: Deum facere non posse, quod sint multi intellectus, quia implicat contradictionem. Adhuc autem gravius est, quod postmodum dicit: Per rationem concludo de necessitate, quod intellectus est unus numero: firmiter tamen teneo oppositum per fidem. Ergo sentit, quod fides sit de aliquibus, quorum contraria de necessitate concludi possunt. Cum autem de necessitate concludi non possit, nisi verum necessarium, cuius oppositum est falsum, & impossibile; sequitur secundum ejus dictum, quod fides sit de falso & impossibili, quod etiam Deus facere non potest: quod fidelium aures ferre non possunt. Non caret etiam magna temeritate, quod de his quæ ad Philosophiam non pertinent, sed sunt pura fidei, disputare præsumit: sicut quod anima patiatur ab igne inferni: & dicere, sententias Doctorum de hoc esse reprobandas. Pari ergo ratione posset disputare de Trinitate, de Incarnatione, & aliis hujusmodi, de quibus non nisi balbutiens loqueretur.

Hostem suum, si deponere quidem arma nolit, in apertam pugnam provocat Doctor Angelicus: *Si quis, iniquis, gloriabundus de falsi nominis scientia, veli contra hæc quæ scriptimus, aliquid dicere: non loquatur in angulis, nec coram pueris, qui nesciunt de causis arduis judicare: sed contra hoc Scriptum scribat, si audeat: & inveniet non solum me, qui aliorum sum minimus, sed multos alios, qui veritatis sunt cultores: per quos ejus errori resistetur, vel ignorantia consulatur.* Parisiis elucubratum hoc opus, pro certo habeo, utpote petulantia oppositum Scholarium de Gariandæ, Parisiorum vico, ut admonet Guillelmus de Tocco: verissimimumque puto, confectum ab illo, cum secunda vice Sanjacobæam Scholam regeret post annum 1269.

III. Joannes Ambrosius Barbavara in sua Ms. Opusculorum Sancti Thomæ censura, hæc habet: „In Opusculo de unitate intellectus contra Averroistas, integræ paginæ ex Themistio recitantur juxta versionem Hermolai Barbari, ne vocula quidem immutata. Unde cogimur suspicari, vel Auctorem operis recentiorum rem esse, vel Divi Thomæ scriptis aliquid alienæ operæ atque industriae inspersum fuisse. Utcumque sit, certe dolere non debemus, talem Aquinati imposturam factam, cum liber eruditione plenus sit. Sirolix ex Themistio locos alios conferre licuit cum latina Hermolai Barbari interpretatione, Venetiis typis edita anno 1549. apud Hieronymum Scotum: ipsaque dubio procul, quæ legitur in editis Opusculi à me visis exemplis, Hermolai Barbari interpretatio prostat, ne vocula quidem immutata, ut ait Barbavara. At levissima illa est Censoris prima suspicio, auctorem Operis recentiorum esse: verissima, quæ sequitur, conjectura, Divi Thomæ scriptis aliquid alienæ operæ atque industriae inspersum fuisse.

Laudati Jo. Ambrosii Barbavara, qui Mediolanensis Eustorgiani Cœnobii alumnus fuit, elogium texit Jacobus Echaridus Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum 1594. ejusque opera recenset. Mentionem inter ea ingerit nullam memoratæ in Opuscula Sancti Thomæ censura. Hanc ego possideo Ms. ex Codice Mediolanensi descriptam. Inscrubitur Censura Opusculorum, quæ sub Divi Thomæ Aquinatis titulo hæctenus prodire, ad Reverendissimum Patrem Magistrum Caballum Brixianensem Ordinis Sancti Dominici, Generalem Inquisitorem, & in Romana Curia Procuratorem. Opus non semel memorat Petrus de Alva, multis quibusdam locis præstat. Integrum pro data occasione in Opusculorum, quæ deinceps recensenda sunt, examine exhibere præterit: ipsamque hoc loco Præfationem, ac pauca profero verba, quæ de prioribus Opusculis habet usque ad xx.

„Divi Aquinatis opera studiose perlegenti mirum statim apparet, Reverendissime Pater, quam fuerit veritas, & germanam in tradendis & conscribendis artibus rationem insecutus. Siquidem à primis semper principis, compositiva methodo, deducit remotissima, ab universalibus singularia, à notissimis rerum omnium abstrusissima, & profundissima. Ordine singula digerit, ac suo quæque loco ita disponit, ut perpetuum quemdam atque indissolubilem rerum nexum videas, & quasi solidum quoddam veritatis corpus, nulla ex parte vacuum aut inane. Verborum spectabilis est frugalitas: nunquam prosequitur flosculos, aut inania sermonis pigmenta: tantum curat, ut plena sit oratio fructu ac cognitione rerum, quæ non aut res ad præsens demulceat, sed inolebilem veritatis characterem animo potius insculpat. Sententiæ semper sunt graves, ut in illis perulantur aut lascivientes calami vitium nullibi agnoscas. Stylus simplex quidem, nusquam tamen abjectus, aut humilis. Voces propriæ, & ad docendum apte: ita ut ex intimis, ipsius rei, de qua agitur, visceribus petite videantur. Dum sua probat, constantissimus est, & sibi semper similis: dum aliena confutat, acerrimus quidem, sed modestissimus; ut qui non cum hominibus, sed cum perversis tantum dogmatibus, atque opinionibus bellum sibi esse intelligat. In rebus fidei pertractandis, ecclesiasticæ disciplinæ, & Apostolicarum traditionum semper observantissimus: ubique fidelis, & citra omnem superstitionem pius, ac sanctus. In Physicis ubique Peripateticæ disciplinæ professor, præterquam ubi à catholica veritate deviat. Nihil denique est in scriptis, quod majestatem non præferat: nihil quod institutionis, ac disciplinæ formam non teneat.

In hoc ergo tam conspicuo egregii Doctoris simulacrum quisquis respexerit, facile videbit, cur ex plebiscite Opusculis, quæ hæctenus Divi Aquinatis habere (nomen) nos quædam prorsus loco moverimus, & aliis ambigue & suspecte fidei notam inusserimus. Itaque primum Opusculum, quod contra errores Græcorum inscribitur, & quæ sequuntur deinceps usque ad decimum nomen, cui titulus contra impugnantes Religionem, ita undique sapiunt Aquinatem, ut nefas sit de illis dubitare: dempro quinto de unitate intellectus contra Averroistas: in quo integræ paginæ &c. ut superius. Reliquas censura partes in Opusculorum quæ sequuntur, recensione dabimus.

CAPUT II.

Vetus latina Themistii versio, ab Aquinate adhibita restituitur, rejecta Hermolai Barbari versione, aut paraphrasi, quam imprudens Editor innoxii. Specimen totius Opusculi.

I. Arbavare ingestum de Opusculo contra Averroistas dubium latina nititur Themistii versione, quam sine dubio Hermolai Barbarus confecit. Codicem Ms. qui plura S. Thomæ Opuscula complectitur, incepto Saeculo xv. ut puto exaratum, servat Veneta SS. Joannis & Pauli Bibliotheca. Eiusdem copia mihi facta à Domino Berardello sæpius lapsulo, quo de agimus, in eodem prostante Codice. Verba Themistii, non ita proluxa ut apud Hermolai Barbarum, & aliter latine versa ac in editis exemplis deprehendi: unde colligebam, ab Editore, de quo infra dicendum, repudiata antiqua latina versione, interpretationem Barbari, utpote elegantiore invecam fuisse. Mirum vero imprudentem hanc licentiam non castigasse Pellicanum, qui se Opusculorum editionem ope Codicis Victorini emendatam curasse proficitur. Loca Themistii proferre pretium est operæ, quæ nempe in editis exemplis, quæve in Codice Veneto prostant. Par enim est, ut antiqua restitatur Themistii versio, qua utebatur Aquinas.

Ex Cod. Ms.

„Nunc autem oportet considerare, quod alii Peripatetici de hoc ipso senserunt: & accipiamus primo verba Themistii in Commento de Anima, Lib. III. cap. xxiii. & seqq. iuxta edit. Barbari, ubi dicit sic: Intellectus iste, quem dicimus in potentia, magis est anime connaturalis, scilicet quam agens. Dico autem, non anime, sed solum humane. Et sic, ut lumen potentia visui, & potentia coloribus adveniens, actu quidem visum facit, & actu colores: ita & intellectus iste, qui actu non solum ipsum intellectum factu actu; sed etiam potentia intelligibilis (actu) intelligibilis iste constituit. Et post pauca concludit: Quam igitur rationem habet ars ad materiam, hanc & intellectus factivus ad eum, qui in potentia. Proprie quod etiam in promptu nobis est intelligere, quando volumus. Non enim est ars materia inferioris; sed inexistit toti in potentia intellectui, qui (factivus est.) Ac si utique adificator lignis. . . non ab extrinseco existet, per totum autem ipsum penetrare potens erit. Sic etiam & qui scilicet actu intellectus, intellectui potentia superveniens, unum facit cum ipso. Et post pauca concludit: Nos igitur sumus, ut quod potentia; intellectus autem, qui actu. Sic quidem in compositis omnibus ex eo quod potentia, & ex eo quod actu. Aliud est hic, aliud est huc: aliud utique erit ego, & aliud mihi esse. Et consequenter quidem est compositus intellectus ex potentia, & actu. Mihi autem esse ex eo, quod actu est: quia etiam ea quæ meditor, & quæ scribo, scribit quidem intellectus compositus ex potentia, & actu. Scribit autem, non quia potentia, sed qua actu: operari enim sibi inde derivatur. Et post pauca adhuc manifestus sic: Igitur est aliud, est animal, & aliud animalis esse. Animalis esse est ab anima animalis. Sic & aliud, qui ego, & aliud esse mihi. Esse autem mihi, est ab anima: & habetur, non omni. Non enim sensitiva, materia enim erat phantasia. Neque rursus à phantasia, materia enim erat potentia intellectus. Neque quod potentia intellectus, materia enim erat factivus (intellectus.) A solo igitur factivo est mihi esse. Et post pauca subdit: Cum responderet, scilicet Aristoteles: in omni autem natura, hoc quidem ut materiam esse, hoc autem quod materiam movet, aut perficit; necesse aut, & in anima existere has differentias, & esse, hunc aliquem talem intellectum in anima fieri, & hunc talem in anima facere. Et usque ad hanc progressa natura, cessavit. . . Nos itaque sumus activus intellectus. Et postea reprobans quorundam opinionem, dicit: in anima esse talem intellectum, & anime humane velut quendam partem honoratissimam. Et post pauca dicit: Ex eadem littera hoc conveni confirmare, quod putat, scilicet Aristoteles: aut nostri aliquid esse activum intellectum, aut nos. Patet igitur ex præmissis verbis Themistii &c.

„Et Theophrasti quidem libros non vidi; sed ejus verba introducit Themistius in Commento, quæ sunt talia, sic dicens: Melius est autem Theophrasti proponere dicta de intellectu potentia, & de eo qui actu. De eo igitur qui potentia, hæc ait: Intellectus autem qualiter à foris existens, & tamquam superpositus; & tamen connaturalis? Et quia natura ipsius habet quidem naturaliter esse, scilicet actu, & potentia omnia; bene finit & superius. Non enim sic accipiendum est, ut neque

Ex Opere H. Barbari, & editis exemplis Opusculorum.

„Nunc autem considerare oportet, quid alii Peripatetici de hoc ipso senserunt: & accipiamus primo verba Themistii in Commento de Anima, ubi sic dicit: Duas ergo differentias esse humani animi. . . Intellectus autem potestatis, quamvis eadem fere, qua intellectus agens, dignitate auctoritateque polleat: quia tamen aliquando conjunctur, additior, que humane anime est, videtur societate hæc, nobilitati suæ nonnihil pendendi detrimentique facere. Quemadmodum itaque lumen, cum oculis & coloribus accedit, non modo visui, sed coloribus etiam actum præbet: ita intellectus agens, cum intellectum potentia agit, non solum intellectui actum ministrat; sed & res, quæ potentia intellectus sunt, facit ut in eo intellectus sint actu &c. Sic deinceps interpretatio legitur, vel potius paraphrasis longe lateque differens ab antiqua latina versione, quam integram è regione describo.

Paulo infra in eodem.

„Et Theophrasti quidem libros non vidi; sed ejus verba introducit Themistius in Commento, quæ sunt talia, sic dicens: Plene facturum hoc loco me operæ pretium arbitror, si verba Theophrasti de intellectu potestatis, & agente præterterio. De intellectu itaque potestatis hæc dicit. Cum intellectus, inquit, homini extrinseco accedat, cumque tamquam appositus, invecusque sit: queritur, quemadmodum congenitus nobis dicatur, demum quænam confirmatio nature ejus sit? Certe id quod di-

„sit ipse: hoc litigiosum est enim, sed ut. . . quamdam potentiam, sicut etiam in materialibus. Hoc à foris, non ut objectum, sed ut ipsam comprehendens generationem, omnino ponendum.“

„cavilloque proxima. Sed ita intelligendum: ut in animo talis quædam sui generis potentia sit pro subjecto formarum, ac gremio; qualis in rebus materialibus facultas illa est, quæ constitutioni earum & concretioni substat. Porro quod dicitur, mentem extrinsecus accedere, non ita struendum est, ut qui vere appositus, invecusque habeatur; sed ut qui statim ab ortu, quasi comprehendere nos, complectique soleat.

Prope Opusculi finem.

„Ponenda sunt verba Themistii in Commento de Anima (Libro 3. Cap. 32. juxta edit. Barb.) Cum enim quisquis de intellectu agente, utrum sit unus, an plures, subjungit solvens: An primum quidem intellectum illuminantem credi unum oportet; illuminatos vero, & subinde illuminantes multos? Quemadmodum quamquam Sol est unus, tamen lux, quæ de Sole prodit, & mittitur, quasi abjungitur ab eo, & divellitur, atque ita in multos obtutus distrahitur, distribuiturque. Quam obrem Aristoteles intellectum non Soli, sed luminis comparavit. Plato autem Solem.“

„Ponenda sunt circa hoc verba Themistii in Commento de Anima. Cum enim quisquis de intellectu, utrum sit unus, vel plures, subjungit solvens: An primum quidem intellectum illuminantem credi unum oportet; illuminatos vero, & subinde illuminantes multos? Quemadmodum quamquam Sol est unus, tamen lux, quæ de Sole prodit, & mittitur, quasi abjungitur ab eo, & divellitur, atque ita in multos obtutus distrahitur, distribuiturque. Quam obrem Aristoteles intellectum non Soli, sed luminis comparavit. Plato autem Solem.“

Commentarii, seu Paraphraseos Themistii latinas versiones memorat Jo. Albertus Fabricius, quas confecerat Hermolai Barbarus, Ludovicus Nogarola, & Fridericus Bonaventura; antiquioris, quæ in Codicibus prostant, non meminit. An aliqua ex Thomæ circumferretur, an vero Thomæ pro data occasione loca quædam latine vertenda curaret, incognitum mihi. Opusculorum editionem primam curavit Paulus Soncinus Mediolani anno 1488. apud Magistrum Benignum, & Joh. Antonium de Honoris. Operam quoque suam præstante Antonio Pizmano Patricio Veneto, eadem Opuscula Venetiis anno 1490. & 1498. prodierunt mandato & expensis Octaviani Scotti. Hanc Pizmani editionem alla Veneta exprimit anno 1508. mandato & expensis Petri Liechtenstein, cura & ingenio Jacobi Pencio de Lenco.

Quis vero Editorum, an Soncinus, an Pizmanus, latinam versionem Themistii à Barbaro confectam in Opusculo Sancti Thomæ invexerit? Versionem suam, aut potius liberiores paraphrasim anno 1480. primum vulgaverat Barbarus. Hac uti Soncinus poterat: at Opusculorum editionem, quam ipse curavit, videre ac luserat mihi non licuit. In editionibus certe à Pizmano curatis latinam Barbari versionem præstat Sancti Thomæ Opusculum, quo de agimus: eandemque superiores editiones, admonitione nulla præmissa, expresserunt.

II. Duplicem Peripatetica Philosophia intellectum distinguebat: Agentem unum, Passivum aut patientem alterum, seu intellectum potestatis. Munus collustrandi phantasmata tribuebat illi, ac isti munus intelligendi, postquam phantasmata collustrata, seu species intelligibiles inde exculptas recepisset. Intellectum Agentem stuebat Averroes ab homine separatum, unum etiam, hominibusque commune: non omnibus: quæ pariter aliis Græcis Peripateticis insederat opinio, sive demum agens iste intellectus non alius foret ab intelligentia quadam orbium celestium motrice, sive etiam ipse Deus esset. Homini vero, aut ejus anime intellectum patientem inesse, tamquam facultatem ejus propriam, communis erat Peripateticorum doctrina: qua repudiata, totus erat Averroes, ut ostenderet, hunc etiam intellectum ex eodem ordine esse ac agentem, separatum, ingenerabilem, incorruptibilem: unum, & omnibus hominibus commune: quem præterea materialem vocabat, hoc est, instar materie passivum. De mente Aristotelis, ejusque sectatorum, Alexandri Aphrodisi, Theophrasti, Themistii, Simplicii, Phileponi, itemque Arabum Avicennæ, Algazelis, Alfarabii, Avempacis disserit Petrus Gassendus in Physica Tomo II. Libro ix. Capite 1. Commentum Averroisticum paulo aliter post Cælium Rhodiginum exponit Jacobus Bruckerus in Historia Critica Philosophiæ Tomo III. Periodo 11. Parte 1. Libro 111. Capite 1. §. xxv.

Adnotaverat S. Thomas in Questione de Anima inter Disputatas Art. 5. quod intellectum agentem esse unum & separatum plus videtur rationis habere, quam si hoc de intellectu possibile ponatur. Eadem ejus est animadversio in Opusculo, quo de agimus, §. His igitur consideratis: nempe: Fortè enim de agente hoc dicere, aliquam habere rationem, & multi Philosophorum hoc posterunt. Nihil enim videtur inconveniens sequi, si ab uno agente multa perficiantur, quemadmodum ab uno Sole perficiuntur omnes potentia visiva animalium ad videndum. . . Sed quidquid sit de intellectu agente, dicere intellectum possibilem esse unum omnium hominum, multipliciter impossibile apparet. Anima tamen inesse intellectum agentem, sententia Aquinatis est: qui loco citato de Anima & in II. Sent. Distinct. xvii. Quest. 11. Artic. 1. tum philosophicis rationibus, tum momentis ex fide christiana desumptis Philosophos refellit, intellectum agentem consistens in intelligentia quadam separata orbium celestium motrice; ac illos etiam, qui prædicant agentem intellectum eundem cum intellectu divino vel cum Deo faciebant, ita intelligendos jubet, ut præter Deum, supernum intellectum nostri, & luminis intellectualis auctorem, alius nobis insit intellectus agens, qui veluti causa secunda, collustrat phantasmata, species intelligibiles efformet: easque imprimat intellectui patienti ad patiendam rerum notitiam & cognitionem.

Scio, & vani, & ambitiosi Academici erant, qui naturalibus rationibus ac Philosophorum auctoritatibus agentes, vulgabant nedum agentem, verum etiam patientem intellectum, separatum dici oportere, & unum, & omnibus hominibus commune. Latinos Auctores, qui hæc de re scriperant, veluti præjudiciis occupatos rejiciebant: itemque vocabant ad Græcos Peripateticos, ut eorum auctoritate diffimeretur. In arenam

descendit Aquinas. Controversiæ statum dilucidè exponit. Contra Averroisticum errorem jampridem multa conscripsimus. Sed quia errantium impudentia non cessat veritati reniti, propositum nostræ intentionis est, iteratò contra eundem errorem conscribere. Et quia quibusdam in hac materia verba Latinorum non sapiunt, sed Peripateticorum (Græcorum) verba sectari se dicunt, quorum libros in hac materia nunquam viderunt, nisi Aristotelem, qui fuit Sectæ Aristotelicæ institutor; ostendimus, positionem prædictam ejus verbis & sententiæ repugnare omnino. Plurimos affert Aristotelis textus, ejusque mentem aperit. Digna sunt animadversione verba illa: *Hujusmodi questionibus certissimè colligi potest, Aristotelem solvisse in his libris, quos patet eum scripsisse de Substantiis separatis, ex his quæ dicit in principio 12. (Libri) Metaphysicæ: quos etiam libros vidimus num. 14. licet nondum translatos in lingua nostra. Libros de Substantiis separatis græcè scriptos evolvebat Aquinas: eosque sive pro sua peritia, sive peritorum ope interpretabatur.*

Græcos Aristotelicæ Philosophiæ sectatores ad examen vocat, ac præterea Arabes Commentatores, Themistium, Theophrastum, Alexandrum, Avicennam, Algazelum. Mente eorum detecta, concludit Thomas: quod non solum Latini, quorum verba quibusdam non sapiunt; sed & Græci, & Arabes hoc senserunt, quod intellectus sit pars, vel potentia, vel virtus animæ, quæ est corporis forma: unde miror (inquit) ex quibus Peripateticis hunc errorem se assumpsisse gloriantur, nisi forte quia minus voluit cum cæteris Peripateticis rectè sapere, quam cum Averroë aberrare: qui non tam fuit Peripateticus, quam Philosophia Peripateticæ depravator. Quod ejus commentum denique philosophicis rationibus insequitur Doctor Angelicus.

Unum nova Philosophia agnoscit intellectum, qui cognoscit & intelligit, agente rejecto, sive hunc existimaverit facultatem ab intellectu passivo distinctam, sive in uno eodemque intellectu munera duo distinctæ, collustrandi phantasmata, speciesque intelligibiles recipiendi inde exculptas. Innatas, adventitias, & factitias ideas invenerunt Cartesiani: innatas quidem menti concreatas, adventitias ex occasione motionum corporearum à Deo in nobis excitatas, cujusmodi sunt sensiles omnes; ac demum factitias, quas ipsa mens innatis, & adventitiis imbuta cudit. Ad innatas ideas quod attinet: Nicolaus Malebranchius, mentis perceptiones distinguendas jubet ab objecto immediate percepto, seu idea objectiva: & hanc unam universalem constituit, scilicet divinam essentiam, quatenus rerum omnium idea archetypa est, menti creatæ unitam, ac objectiva intelligibilia representantem pro data motionum corporearum occasione. Hanc vero ita expositam opinionem non pauci arbitrantur, ut eandem esse, aut reduci posse ad illam Alexandri Aphrodisiæ, qui agnens intellectum non alium censebat nisi intellectum divinum, à quo omnis proficiscitur mentis creatæ illuminatio. Hæc systemata longe differunt à sententiâ Sancti Thomæ, qui docet constantissimè, nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Rem hanc sibi demonstrandam adsumpsit Joannes Lockius, qui plura docet, non paucis præstantissimis Philosophis gratissima, ab Angelico utique Præceptore jam præoccupata: miscet alia tamen Scriptores Anglici, quæ omnino ablundant à vero, ac periculis plena sunt, ab Aquinate passim profligata. Ad id redigitur negotium omne, ut sensilium objectorum perceptionibus aut ideis imbuta mens, meditatione, & conjectura alias omnes sibi comparet ideas, & perceptiones. Satis vero hæc delibasse.

CAPUT III.

Genuina sunt Opuscula de Verbi divini, & humani differentia, deque natura Verbi. Item illa, quæ de sortibus, de judiciis astrorum, & de æternitate mundi inscribuntur.

I. Opusculo, quod in editione Romana decimum tertium locum tenet, inscribiturque de *Differentia Verbi divini & humani*, testimonium perhibent vetusti Nonneclatores, Bernardus Guidonis, Valloleatani, & Sanctus Antoninus. Quod ibidem sequitur, de *Natura Verbi*, numero xiv. collocatum, discretissima recensente mentione à Ptolomæo de Luca. Singula minora hæc Sancti Thomæ opera à singulis, simulque omnibus non referri Nomenclatoribus, miratio subeat nulla: composuit enim multa Opuscula Sanctissimus Doctor, Joanne de Columna animadvertente, quæ à multis in diversis locis habentur. Aliqua igitur singularia Opuscula potuit unus, vel alter veterum Scriptorum ignorare; quæ tamen noverant alii, proque fœtibus genuinis numerabant in Catalogis. Duobus hisce vero in Opusculis egregia prostant theologica, & philosophica documenta.

II. Tria succedunt id genus opera minora, de *sortibus, de judiciis astrorum, de æternitate mundi*: quæ Romana editio exhibet num. 25. 26. 27. Memorant eadem vetusti Scriptores, quorum summa in eo auctoritas est, quod judicium ferimus de genuinis Thomæ Operibus. Jo. Ambrosii Barbarava censura addo: Quæ sequuntur Opuscula, iniquitatis, de *sortibus, de judiciis astrorum, de æternitate mundi, procul dubio Thomam cognoscunt auctorem, undecumque spectentur.*

Primum de *sortibus* apud Ptolomæum Lucensem, nuncupatum legimus ad *Dominum Jacobum de Burgo*: apud Logothetam, ad *Dominum Jacobum de Lolongo*, apud Trivetum, ad *Dominum Jacobum de Bonoso*: apud Codices aliquos MSS. ad *Dominum Jacobum de Borego, Nempo, Tolongo, Bonoso, Borego* videtur errata Notariorum, Jacobo Echaro animadvertente. Parisiis scriptum Opusculum, ex his collige verbis Capite 1. *Nullus enim in Gallia existens, sorte aliquid inquirendum curat de his, quæ ad Indos pertinent.* In Italia moram si taxisset, eorum certe, qui in Italia debebant, exemplum adduxisset.

Fratri Reginaldo de Priveto inscripsit alterum amicissimus Thomas. Consilium Operis prima pandunt verba: *Quia petisti ut tibi scriberem, alliceret judicium astrorum uti, petitioni tuæ satisfacere volens, ea quæ à sacris Doctoribus super hoc traduntur, scribere curavi.* Statum denique quæstionis accipe, quam tertio in Opusculo de mundi æternitate ad examen vocat. *Supposito secundum fidem catholicam, mundum ab æterno non fuisse, sicut quidam Philosophi errantes posuerunt; sed quod mundus durationis initium habuerit, sicut Scriptura sacra, quæ falli non potest, testatur; dubitatio nota est, utrum potuerit semper fuisse. Cuius dubitationis ut veritas explicetur, primo distinguendum est, quid est, in quo cum dicentibus conitarii convenimus, & quid est illud in quo ab eis differimus. Si enim intelligatur, quod aliquid præter Deum potuerit semper fuisse: quasi possit esse aliquid æternum præter eum, ab eo non factum, error abominabilis est non*

non solum in fide, sed etiam apud Philosophos, qui contentur & probant, quod omne quod est, esse non possit, nisi causatum ab eo qui maxime & verissime habet esse. Si autem intelligatur, aliquid semper fuisse, & tamen causatum à Deo secundum totum quod in eo est, videndum est, utrum hoc possit stare.

DIVI THOMÆ AQUINATIS, DE UNITATE INTELLECTUS. CONTRA AVERROISTAS. OPUSCULUM IX. *

* Al. XI.

Sicut omnes homines naturaliter scire desiderant veritatem, ita naturale desiderium inest hominibus fugiendi errores, & eos, cum facultas affuerit, confutandi. Inter alios autem errores indecentior videtur esse error quo circa intellectum erratur, per quem nati sumus devitiis erroribus cognoscere veritatem. Inolevit apud multos jamdudum circa intellectum error apud multos ex dictis Averrois sumens exordium, qui asserere nititur, intellectum quem Aristoteles possibilem vocat, ipse autem inconvenienti nomine (1) materialem, esse quamdam substantiam secundum esse à corpore separatam, & aliquo modo uniri ei ut formam; & ulterius quod intellectus possibilis sit unus omnium. Contra quem jampridem multa conscripsimus. Sed quia errantium impudentia non cessat veritati reniti, propositum nostræ intentionis est, iteratò contra eundem errorem conscribere alia, quibus manifeste prædictus error confutaretur.

Nec id nunc agendum est ut positionem prædictam ostendamus erroneam, quia repugnet veritati fidei christianæ: hoc enim cuique satis in promptu apparere potest. Subtracta enim ab omnibus diversitate intellectus, qui solus inter partes animæ incorruptibilis, & immortalis apparet, sequitur post mortem nihil de animabus hominum remanere nisi unitatem intellectus; & sic tollitur retributio præmiorum, & poenarum, & diversitas eorumdem. Intendimus autem ostendere positionem prædictam non minus contra Philosophiæ principia esse quam contra fidei documenta. Et quia quibusdam in hac materia verba Latinorum non sapiunt, sed Peripateticorum verba sectari se dicunt, quorum libros in hac materia nunquam viderunt, nisi Aristotelem, qui fuit sectæ Peripateticæ institutor; ostendimus positionem prædictam ejus verbis, & sententiæ repugnare omnino.

Accipienda est ergo prima definitio animæ, quam Aristoteles in II. de Anima ponit dicens, quod anima est *Actus primus corporis physici organici*. Et ne forte aliquis diceret hanc definitionem non omni animæ competere, propter hoc quod supra sub conditione dixerat, *Sed oportet aliquid commune in omni anima dicere*, quod intelligunt sic dictum, quasi hoc esse non possit; accipienda sunt verba ejus sequen-

(1) Al. immaterialem.

tia: dicit enim: *Universaliter quidem dictum est, quod sit anima. Substantia enim est quæ secundum rationem, hoc autem est quod quid erat hujus corporis, id est forma substantialis corporis physici organici.* Et ne forte dicatur ab hac universalitate partem intellectivam excludi, hoc removeretur per id quod postea dicitur: *Quod quidem igitur non sit anima separabilis à corpore, aut pars quædam ipsius partibilis apta nata est, non immixtum est: quantum enim partium actus est ipsa.* At vero secundum quosdam, nihil prohibet, propter id quod nullius corporis sunt actus: quod non potest intelligi nisi de his quæ ad partem intellectivam pertinent, puta intellectus, & voluntas. Ex quo manifeste ostenditur, illius animæ quam supra universaliter diffinierat, dicens eam esse corporis actum, quædam partes animæ, quæ sunt quantumdam partium corporis actus esse: quædam autem nullius corporis actus esse. Aliud est enim animam esse actum corporis, & alium partem ejus esse corporis actum, ut infra manifestabitur. Unde & in hoc eodem capitulo manifestat animam esse actum corporis per hoc quod aliquæ partes ejus sunt corporis actum, cum dicitur: *Considerare oportet in partibus quod dictum est, scilicet in toto.* Adhuc autem manifestius ex sequentibus apparet, quo modo sub hac generalitate diffinitionis intellectus includitur per ea quæ sequuntur. Nam cum supra satis probaverit animam esse actum corporis, quia separata anima non est vivens in actu: quia tamen aliquid postest dici actuale ad præsentiam alicujus, non solum si sit forma, sed etiam si sit motor; sicut combustibile ad præsentiam comburentis actu comburitur, & quodlibet mobile ad præsentiam moventis actu movetur; posset alicui venire in dubium, utrum corpus sic vivat actu ad præsentiam animæ, sicut mobile movetur ad præsentiam motoris, an sicut materia est in actu ad præsentiam formæ, & præcipue quia Plato posuit animam non uniri corpori ut formam, sed magis ut motorem, & rectorem, ut pater per Plotinum, & Gregorium Nyssenum; quos ideo induco, quia non fuerunt Latini, sed Græci. Hanc igitur dubitationem insinuat Philosophus, cum post præmissa subjungit: *Amplius autem immixtum, si sit corporis actus anima, sicut nata natus.* Quia igitur post præmissa adhuc hoc dubium remanebat, ideo subdit: *Figuraliter quidem igitur sic de-*

X 2

11-